





67

1785

16

FACVLTATIS IVRIDICAE
H. T. PRO-DECANVS
JOACHIM GEORG DARJES

AD
DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

ET
SOLEMNIA INAVGVRALIA

CANDIDATI GENEROSISSIMI

IOACHIMI AB EXTER

HAMBVRGENSIS

IN AVDITORIO IVRIDICO

AD D. XXIII. MARTII CIOICCLXXXV.

HORIS CONSUVETIS

CELEBRANDA INVITAT

ET

PRAEFATIONIS LOCO AD QVAESTIONEM

AN FEVDVM RECTE LEHN VERTATVR

RESPONDET.



TRAIECTI AD VIADRVN,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.



JOACHIM GEORG DARRIES

IMMUNISATIONEN

SOLMANNI HAVOVARALLA

JOACHIM AB EXTER

IN VICTORIO TURICO

IMMUNISATIONEN



I.

Immortalis de **LVDEWIG** Cap. III. opusc.: de formula Brandenburgici Ducatus §. I. lit. d. docuit sequens: Ego meos ita docere soleo, ut multis argumentis ostendam, in publico, feudali ac privato iure infinitos errores produxisse rerum, in patria natarum, peruersas appellationes in lingua latina. Tot criticorum libelli extant, qui vulgarium verborum notant barbarissimos: utinam idem in iurisprudentia argumentum tractaret iuris arte et literarum praesidio instructus interpres. Uttilior haec opera reipublicae esset, quam industria centum orbiliorum. Exempla sunt, cum Emphyteusis redditur **EIN ZINSGVT;**



LANDES-HERR, Dux; GRAV oder RICHTER, comes; die LANDESHOHEIT, Regalia; LEHN; Feudum; VASALL. beneficiarius, et quae sunt generis eiusdem. Vnicum iam ex his sumamus quaestionem: *feudum an recte Lehn vertatur?* et euoluamus breuiter atque simpliciter principia, e quibus legitime fluit responsio.

II.

Notum est: *feuda* in sensu generaliore esse omnia illa bona vel iura, quorum utilitas alicui conceditur sub lege fidelitatis, et nonnunquam in compensationem officiorum praestitorum, seu loco salarii. vide MÖLLERI *Diff. feudalis Dist.*, et STRVVI *Elem. Iuris feud. Edit. HELLFELDII §. VI. pag. 5.* Ex hoc colligimus, vbi non aliquid conceditur sub lege fidelitatis, vbi non est feudum. Si itaque exploratae veritatis sit, vt vox *Lehn* saepissime significet ius, quid pro determinata pecuniae summa certis sub limitationibus, sed non sub lege fidelitatis concessum; verum quoque erit, vocem *Lehn* non semper significare id, quod feudum. Primum exploratae veritatis esse *primo* origo vocis, et *deinde* vsus docebit.

III.

Non a vero auersum esse videtur, vocem *Lehn* originem trahere a germanorum *leihen*, quod in patria mea dicitur *leihen*, quod in sensu generaliore significat, aliis aliquid sine libertate alienandi concedere. vide WACHTERI *Glossarium Germanicum*
voce




voce *Lehn*, et voce *Leihen*. BVRI *Erläuterung des Lehnrechts* P. I. pag. 46 ff. Hac ex vocis origine manifestum est, vocem: *das Lehn*, sensu generaliori significare bonum vel ius cuius utilitas alteri sine iure alienandi concessa. Et *belehnen* idem esse, ac alicui utilitatem rei vel iuris sine libertate alienandi dare seu concedere. Ideoque significationem vocis *Lehn* latiore esse significatione vocis *feudum*. Alicui enim utilitatem rei vel iuris concedere sub lege fidelitatis, id magis determinatum est, quam alicui tale sine libertate alienandi concedere, quoniam id simul involvit suscipere statum, per quem fiat obligatus ad curam atque diligentiam adhibendam, ne aliquid in ulterius praeiudicium fieret. Qua ex causa SCHILTER negotium feudale conventionem socialem seu speciem societatis vocavit. Quae cum ita sint, veritas regularum probata erit: Quicquid est *Lehn* non semper est feudum, tamen omne feudum est *Lehn*.

IV.

Sententia eorum, qui vocem *Lehn* ducunt a latinorum *laudare*, a quo vox *laudemium* originem trahit, quod germani vocant: *die Lehn-Ware*, ex omni parte cum illa consentit. *Laudare* enim idem est ac sponte consentire. vide STRVV l. c. §. 295. p. 327. Qui vero alteri concedit utilitatem rei cuiusdam sine libertate alienandi, is sponte in eiusmodi usum consentit, et is, qui adquisiit *das Lehn*, is adquisiuit talem utilitatem spontaneo alterius consensu. Ex quibus facile intelligendum, quid signifi-

6



cet vocabulum compositum: *die Lehn-Ware*. Satis probavit b. PESLER in Programm. *de origine vocis Lehn-Ware*, vocem *vara* significare exactionem in iudiciis consuetam; inde *Lehn-Ware* est quantitas pecuniae pro consensu in possessionem dictae utilitatis soluenda.

V.

Hancce vocis *Lehn* significationem, quam origo vocis demonstrat, vsu quoque receptum esse ea, quae sequitur ratione, probo. Academiae Viadrinae Anno MDLI clementissime donata est *Ecclesia S. Nicolai* apud Stendalienses suis cum redditibus. Agricolaе itaque, qui dictae ecclesiae ad annuas praestations obligati fuerunt, post donationem eam obligati sunt Academiae Viadrinae. Academia iamdudum nonnullis Agricolis pro determinata pecuniae summa concessit libertatem ab eiusmodi praestationibus annuis, tamen sine iure alienandi, et hanc concessionem vocavit *die Belehnung*, et libertatem illam concessam *das Lehn*. Litteras vero quibus censuram suam in talem libertatis acquisitionem declaravit, *den Lehnbrief*. Cuius formula est: „*Wir be-
kennen für uns und unsere Nachkommen, dass wir
nach Abgang P. P. Ackersmann in N. N. dessen
Sohne, I. P., auch Ackersmann in N. N., auf sein
demüthiges Bitten, aus guten Willen einträchtig,
recht, und redlich (iam enumerantur praestatio-
nes annuae, ad quas obligatus fuit) frey, Ihme und
seinen männlichen Leibes-Lehns-Erben heute dato
zu rechten Lehn, als Lehns-Recht und Gewohnheit
ist,*



„ist, und wie es sein Vorfahren P. P. vor Ihm beses-
„sen und von uns zu Lehn gehabt, hin und wieder
„überlassen und verliehen haben; Und wir leihen hie-
„mit, und Kraft dieses gedachten I. P. und seinen
„rechten männlichen Leibes-Lehns-Erben solch frey-
„hes zu Lehn; Jedoch sollen Er und seine rechte männ-
„liche Leibes-Lehns-Erben von uns und unsern Nach-
„kommen, so oft es Noth seyn wird, solch Freyhes
„zu Lehn zu empfangen, und gewöhnliche Lehns-
„Wehre dafür zu geben, auch nichts ohne unsern
„Consens davon zu veräußern, zu verkaufen, zu ver-
„leihen oder zu versetzen, jährlich aber von seinem Gu-
„the, wie zuvor, also auch noch, was die Register
„besagen, zu lieffern und uns zu gehorsamen, ver-
„pflichtet. Wir aber wollen Ihm des eine rechte Ge-
„wehr seyn. Urkundlich etc. etc.

Iam ponitur quaestio: an tale Lehn sit feudum, Respondeo, non est feudum, licet hoc in sensu generaliori sumtum. Vbi enim nil datur sub lege fidelitatis, et vbi non est conuentio socialis, ibi non est feudum. Inducas, quaeso, ex eiusmodi litteris, quae consensum declarant, obligationem ad suscipiendum statum, per quem agricola ille, cui libertas concessa, obligatur Academiae ad fidelitatem? Inducas quaeso ex illis litteris conuentionem socialem? et facile concedes, talia inde non posse induci, sed Lehn hoc loco esse ius libertatis a certa praestatione annua tamen sine libertate alienandi ab Academia adquisitum, sub limitationibus, in Litteris, quae consensum declararunt, constitutis.



VI.

Principia itaque, quorum adcommodatione ad quaestiones, quae in relatione ad eiusmodi concessionem in controuersiam vocantur, respondendum, et de eiusmodi controuersis constituendum, legitime non sumuntur ex iure feudali, qua tali, sed ea ex relatione, quae in litteris, quibus consensus declaratus, determinata est. Ex hoc quidem discursu patet

- 1) Errorem esse, Agricolas illos, quibus ab Academia dicta libertas determinata ratione concessa, vocare Academiae Vasallos. Non enim adquisierunt statum, per quem Academiae ad fidelitatem obligati. Sunt beneficiarii. Beneficiarius vero non semper est vasallus, uti *das Lehn* non semper feudum.
- 2) Neminem sine expresso consensu Academiae eiusmodi libertatis possessionem posse acquirere.
- 3) Quoties huius libertatis possessio de vna persona ad alterum deuoluta et translata, toties dandum est laudemium.
- 4) Mortuo beneficiario eius filios legitimos quidem habere ius in eam possessionem libertatis succedendi, sed ipsam possessionem non posse acquirere nisi expresso Academiae consensu, quem petere et pro eo consensu laudemium soluere debent.
- 5) Si plures adsint filii legitimi, omnes collectivum sumtos obligatos esse, ut consensum illum petant, et laudemium soluant.

6) Fa-



- 6) Facta post haec bonorum diuisione, qua alter totius libertatis possessionem adquirere cupit, hunc iterum obligatum esse, vt consensum petat, et pro noua possessione laudemium pro rata soluat.
- 7) Eiusmodi petitionem consensus et solutionem laudemii ad annos pubertatis non differendas esse, sed Tutorem constituendum esse, qui nomine pupilli petit, et laudemium soluit. Eiusmodi enim beneficiarii futuri se non obligant ad committendum, sed eo consensu et solutione laudemii adquirunt commodum, ne durante impubertate libertas ea a praestationibus annuis adquiescat, quia fieri non potest, vt quis in eiusmodi libertatis fit possessione sine expresso Academiae consensu, et laudemio nondum soluto.

Sed sistere gradum iubent, quae his tabulis more maiorum indicanda sunt, sacra inauguralia GENEROSISSIMI ET CLARISSIMI CANDIDATI NOSTRI, de cuius virae cursu studiorumque rationibus nunc exponendum non meis sed ipsius verbis:

Ego IOACHIM ab EXTER, Hamburgensis, anno MDCCLXII die VI. Februarii natus sum, patrem habens eiusdem mecum nominis IOANNEM GODOFREDVM, Bremensem, hoc tempore Hamburgi Doctoris Medicinae munia procurantem, cuius pater Hanouerae Consiliarius et Doctor Medicinae fuit; et matrem MARGARETHAM ELISABETAM e stirpe KOEHLERIANA patrumque conscriptorum ordine Hamburgensi oriundam. Vt primum ea fui aetate, quae ad humanitatem institui solet. praecipuum nactus sum domesticum, quem honoris obseruantiaeque causa nomino, Virum S. Reuerendum HEVSINGER, hodie in vico Lipsiae finitimo cui nomen est TREBSEN et ad possessionem Viri Amplissimi BAYMANNI, Doctoris Iuris, eiusdem meae ciuitatis pertinet, sacra curarem, a quo iis omnibus literarum bonarum

b

rum



rum optimarumque artium studiis, quibus puerilis aetas informari debet, eruditus sum. Quo facto, quod Hamburgi florere Iohannem aliquot annos frequentavi, praeceptoribus vsus in quouis literarum genere meritissimis. Colo semperque amabo nomina LICHTENSTEINII, RASPERII, quorum gratissimam memoriam nullum vnquam tempus ex animo meo delebit, viuunt viuenteque nomina MÜLLERI, VOLKMANNI, HAAKII et HEERWAAGII, quos coelitibus iam adscriptos doleo. Postea parentum meorum iussu ad familiarem quemdam Hanoueranae se continentem, me contuli, in cuius domo exceptus vna cum filio suo inter priuatos parietes a Viro Cl. SCHULTZE, Hildesensi instituebar. Hic autem cum breui tempore commodis suis in patria inferuiturus discederet, per Integrum annum et sex menses disciplina eius vsus, Hamburgum rediit, vbi Rectore Viro Excell. BÜSCH in Gymnasii academici ciuium numerum receptus hanc studiorum rationem ingressus sum. Linguarum orientalium scientia me docuit Celeberrimus PITISCVS, Bibliothecarius Hamburgi primarius et Professor publicus linguarum Orientalium, in cuius domo per integrum annum et qui excurrunt sex menses habitandi locum habere mihi contigit. Taceo Viri huius beneuolentiae humanitatisque documenta in me collata, commemorare nolo fructus, quos ex vsu atque consuetudine eius percepisse intelligo, nolo multa addere quibus animi grati obstrictissimisque sensus erga eum declararem. Hoc vnum addo, nullum vnquam tempus fore, quo non gratissima memoria, ea omnia, quae ex eo mihi accidisse intellexero, sin prosequiturus. Matheseos notitiam mihi tradidit Vir Exc. BÜSCH, Logices et Metaphysices praecepta praeunte Viro amplissimo NÖLTING percepi. Vniuersam historiae omnis enarrationem, graecorumque poetarum interpretationes ViRO S. Ven. SCHÜTZE debeo. Et iuris rudimenta Celeber. AMSINK quos ambo iam mortalitatem suam expleuisse lugeo. In hac igitur felice tam literarum quam pietatis disciplina biennio tere exacto anno MDCCLXXXII. in academiam Lipsiensem me contuli, vbi Rectore Magnifico FVNK in ciuium studiosorum numerum relatus sum. Philosophiam praeunte Excell. PLATTNER hausi, ex cuius caeteris praelectionibus, quibus interfui, nunquam non doctiorem discessisse gratus recorder. Dogmaticis exegeticisque praelectionibus Viri S. Vener. MORVS summa cum vtilitate interfuisse fateor. Iuris ciuilibus doctrinis me docuerunt Viri Excell. SCHOTT, KAESE et SAMMET. Ius publicum et criminale PÜTTMANN acceptum refero. Iuris Canonici praelectiones apud Virum S. Ven. a WINKLER audiui. Historiam Professore BECK et Magistro HILSCHER, elegantiorum litterarum enarrationem pariter

et



et filii vernaculi praecepta Viro ampliff. ECK collegi; praëtica Iurisprudentiae apud Viros PÜTTMANN et KAËSE audraui. Studiis meis vterius obsequendi causa anno MDCCLXXXIV. Francofurtum ad Viadrum profectus, academiae ciuitas mihi data est. Rectore Magnifico STEINBART. Carissima mihi hic sunt eruntque nomina DARIËS, HAVSEN et MADIHN quorum praelectiones mirum quantum vtilitatis mihi fuisse gratus agnosco. Phisicam experimentalem et anatomiam ad mei ipsius corporis cognitionem apud Virum Experimentissimum MAIER audiui.

Linguae Francogallicae studium, quod Hamburgi Viro Cl. DAELIN susceperam, hic apud Virum ALAVOINE continuauit, Linguae Italicae Virai Cl. TORCHIANA Lipsiae et Anglicae GERIS Hamburgi praecepta mihi dederunt.

Restat adhuc, vt data hac occasione, quam exoptatissimam mihi duco, beniuolentiae gratiaeque documenta a Viro Illustrissimo Generosissimo S. Venerabili Imperii Comite Iohannei Ordinis Equite de SCHMETTOW-POMMERTZIG in me edita hic palam profitear, et quicquid in me est ingenii rectique sensus gratissima mente ad Virum hunc humanitate atque religione insignem referam. Recordor et per omnem vitam recordabor diei illius, quo in eius beniuolentiam recipi mihi contigit. Multa adicerem nisi vererer, ne quae ex laeti gratique animi abundantia dixerim, verborum lenocinia redolere viderentur. Nominasse igitur hunc Virum sufficiat, quem, dum vitam, sempiterna pietate colam.

Neque minus colo Fautorem Hamburgensem dico Virum Praenobilissimum ANKELMANN Senatorem Hamburgi meritissimum, et h. t. Praetorem dignissimum, huic pro suis in me collatis beniuolentiae signis gratias ago quas possum maximas. Faxit Deus benignissimus vt diutissime sit incolomis atque superstes omnique felicitatis genere, quo hominem frui fas est, perpetuo fruatur.

Nunc ad summos in vtroque iure honores aspirans, ordinem nostrum adiit, et vt ipsi ad vteriora viam panderemus, modeste petiit. Cumque ad consueta scrutinia admissus, dignus habitus fuit, cui petiti Honores more Maiorum deferentur, hunc in finem die XXIII. Martii Exercitationem inauguralem. Me Praeside Eruditorum disquisitioni publice exponet. Quibus peractis, Ego ad hunc Actum Promo-

tor



ror legitime constitutus CANDIDATO NOSTRO honores in utroque iure summos conferam. Cui solemnitati, *Serenissimus Dux*, MAXIMILIANVS IVLIVS LEOPOLDVS, MAGNIFICVS ACADEMIAE RECTOR, ILLUSTRISSIMI COMITES, PATRES ACADEMIAE VENERANDI, PROCERES CIVITATIS, OMNIUMQUE ORDINUM HOSPITES ET COMMILITONES GENEROSISSIMI ATQUE HONORATISSIMI interesse dignentur ea, qua decet, obseruantia et humanitate rogo atque contendo. P. P. die XXII. Martii MDCCLXXXV.



Frankfurt a. O., Diss., 1776-77

ULB Halle


007 520 611

3



W18





B.I.G.

Farbkarte #13

67

1785

16

FACULTATIS IVRIDICAE
H. T. PRO-DECANVS
JOACHIM GEORG DARJES

AD
DISSERTATIONEM INAUGVRALEM
ET
SOLEMNIA INAUGVRALIA
CANDIDATI GENEROSISSIMI
JOACHIMI AB EXTER

P. 334

HAMBVRGENSIS
IN AVDITORIO IVRIDICO
AD D. XXIII. MARTII CIOCCCLXXXV.

HORIS CONSVETIS
CELEBRANDA INVITAT
ET
PRAEFATIONIS LOCO AD QVAESTIONEM
AN FEVDVM RECTE LEHN VERTATVR
RESPONDET.



TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

